



<http://www.biodiversitylibrary.org/>

**Fragmenta botanica, figuris coloratis illustrata :ab anno 1800 ad annum 1809
per sex fasciculos edita /opera et sumptibus Nicolai Josephi Jacquin.**

Viennae, Austriae : Typis Mathiae Andreae Schmidt, typogr. Universit., 1809.

<http://www.biodiversitylibrary.org/bibliography/538>

Item: <http://www.biodiversitylibrary.org/item/10273>

Page(s): Title Page, Page 27, Page 28, T. 25, T. 26, T. 27, T. 28, T. 29, T. 30, T. 31

Contributed by: Missouri Botanical Garden, Peter H. Raven Library

Sponsored by: Missouri Botanical Garden

Generated 8 February 2013 6:30 AM

<http://www.biodiversitylibrary.org/pdf4/015858500010273>

This page intentionally left blank.

Folia
OK 98
J31
1809


FRAGMENTA BOTANICA,
FIGURIS COLORATIS ILLUSTRATA,

AB ANNO 1800 AD ANNUM 1809

PER SEX FASCICULOS EDITA.

OPERA ET SUMPTIBUS


NICOLAI JOSEPHI JACQUIN.



10.225.00

VIENNAE AUSTRIAE
TYPIS MATHIAE ANDREAE SCHMIDT,
TYPOGR. UNIVERSIT.
1809.

7-2-38



decidunt ; quatuor Laciniæ calycis interioris ex flore aliquo magis irregulares, cujusmodi esse sæpe assolent ; Flos adhucdum clausus ex bracteis infimis ; Legumen, & Semina.

90. PHOENIX RECLINATA. *Jacq. Tab. 24.*

Toto habitu sic convenit cum Phœnice dactylifera, ut sola adferre discrimina sufficiat. Ex interiore regione ad Promontorium bonæ Spei unus racemus, fructibus maturis onustus, ad hortulanum Scholl adlatus fuit, qui plurima ilico semina terræ commisit, ex quibus enatas plures plantas secum adduxit, quæ nunc in caldariis Schönbrunnensibus lætissime vegetant, jam minus a Phœnice dactylifera distinguendæ. Scilicet multo sunt humiliores & minores, & foliorum extremitates, quæ in illa semper stricte eriguntur, in hac nostra debiles perpetuo omnes reflectuntur & reclinantur. Hujusmodi extremitas folii in tabula proponitur. Racemus etiam exhibetur totus, quantus huc adlatus fuit, post plerosque jam avulsos in Promontorio fructus. Perianthium persistens tripartitum est, in quibusdam fere triphyllum. Petala etiam persistentia tria, subrotunda, coriacea, calyce duplo majora. De sexu nihil innotuit. Baccæ ovales, obtusæ, tres uncia partes longæ. Semina obtusa, fusca.

91. ZAMIA CYCADIFOLIA. *Jacq. Tab. 25. & 26.*

Egregius hortulanus Georgius Scholl, ex Promontorio bonæ Spei redux, tres attulit Zamia novæ & elegantissimas species, quæ jam lætissime vigent, fronde ampla spectabiles. Attulit etiam ex duabus fructum fæmineum integrum, optime conservatum, ac si foret recenter avulsus, & ex tertia conum masculum. Sunt omnes dioicæ, & si quidem ex pluribus cujusque individuis flores aliquando sperare liceat, possidebimus forte utrumque sexum. Interea describam hic omnes, depictos ad vivum, cum amentorum figuris ad conos adlatos factis ; nam si quando apud nos floreant, perfectiores haud dabunt, si excipias deficientem ubique alterum sexum. Hæc Zamia Cycadi revolutæ adeo similis est, ut ad primum intuitum pro juniore ejusdem specimine haberi posset. Caudex est ex oblongo ovatus, pedem fere altus, diametri decem unciarum, fibris crassis radicans, totus basibus frondium præteritarum delapsarumque tectus, quæ tandem vestigia reticulata sola relinquunt. Cuilibet frondi squama sive stipula ad dorsum accumbit lata & acuta, tandem marcescendo deperitura. Circum caudicis basin ex terra soboles nova prodit, unde facilis & prompta erit ejus multiplicatio. Frondes sunt pinnatæ, rigidulæ, erecto-patulæ, totæ obductæ pube cinerea & per trituram abscedente. Costa est inermis, semiteres, supra plana, bipedalis, calamo crassior, recta ad apicem usque. Pinnæ sunt partim oppositæ, partim alternæ, utrinque plus minus octoginta, lineares, integerrimæ, subtus striatæ, sessiles, mucrone pungente terminatæ, infimæ & summæ breviores, mediæ circiter triunciales. Amentum fæmineum fructescens est elongate conicum, teres, pedale, quadriuncialis diametri, rectum, fuscum ; squamis in utroque latere drupam coccineam gerentibus. Nux alba. Pinnæ in oris ad tactum, vix ad visum, levissime revolutæ sunt ; exsiccano autem revolvuntur maxime. Crescit ad Promontorium bonæ Spei ; apud nos lætissime in caldario. Tabula 25. exhibet amentum fæmineum cum fructibus maturis, squamam cum drupis suis utrinque conspectam, drupam quoque visam utrinque, nucem, amenti rhachin, & caudicis superiorem dimidiatam partem. Tabula 26. frondem totam antice spectatam & pinnam postice.

92. ZAMIA HORRIDA. *Jacq. Tab. 27. & 28.*

Hujus elegantissimæ stirpis solam etiam novimus fæminam. Ejus caudex plus quam bipedalis est, & in diametro pedem æquat, eadem plane structura atque præcedens, ut descriptione supersedere possim. Frondes plures, erecto-patulæ, totæ omnium rigidissimæ, apice etiam rigide recurvato, glabræ, rore ex cæruleo glauco tectæ, hoc deterfo læte virides, abrupte pinnatæ. Costa inermis, tripedalis, subteres, supra depressula, basi digitum crassa. Pinnæ pleræque alternantes, sessiles, lineari-lanceolatæ, coriacæ, subtilissime striatulæ, pleræque in infe-

reriori latere dente uno alterove lanceolato excisæ, dentibus his & pinnarum acuto apice in mucronem validum pungentissimumque terminatis, inferiores integerrimæ & una cum superioribus breviores, mediæ longiores ferme semipedales, superiores ad oppositas suas convergentes. Amentum fæmineum maturum oblongum cum summitate conica & obtusa, quindecim uncias longa, diametri octo unciarum; squamis fuscis, vertice rugosis, duas drupas coccineas more congenerum continentibus. Crescit ultra centum milliaria distante a Promontorio bonæ Spei loco. In tabula 27. sistuntur amentum fructescens fæmineum, rhachis ejusdem cum una adhucdum adhærente squama, hæc cum inhærentibus drupis utrinque conspecta, nux, & portio summa caudicis. Tabula 28. proponit frondem cum intermedia parte semipedali deficiente.

93. ZAMIA LONGIFOLIA. *Jacq. Tab. 29.*

Hæc, Zamias inter, frondis altitudine suæ spectabilis est. Caudex novemuncialis pedalem jam habet diametrum, structura cæterum priorum. Frondes plures, erecto-patulæ, rigidæ, abrupte pinnatæ. Costa a quinque ad septem pedes longa, inferne digitum crassa, teres, supra depressula, apice recurva. Pinnæ utrinque plus minus quinquaginta, longe lanceolatæ, omnes integerrimæ, pleræque alternæ, quædam oppositæ, sessiles, coriaceæ, subtus subtiliter striatula, infimæ solæ quædam mucronatæ & pungentes, reliquæ obtusæ & mucrone carentes, infimæ & summæ breves, mediæ quadriunciales, utrinque, maxime autem in facie, uti & tota costa tomento obductæ araneoso, ac si pulvere insperfo sorderent, ad tritram abscedente, & tunc virides. Solum amentum masculinum vidi. Hoc conum refert elongatum, acutum, rectum, sesquipedalem, quinque uncias diametro æquantem, fuscum, & structura congenerum. Locus ejus natalis æque procul a Promontorio distat ac præcedens. Tabula exhibet totum amentum masculinum, squamam cum polline, portionem summam caudicis, & frondem, cujus intermedia sesquipedalis pars deficit. Cum tomentum formam pulveris sordentis præ se fert, non potuit a pictore aliter exprimi.

94. ZAMIA LANUGINOSA. *Jacq. Tab. 30. & 31.*

Hujus Zamie fructificatio nobis ignota est; nam licet fibris radicalibus sustineatur vegetis, tam lente increfcit, ut augmentum annotinum vix oculis observetur, atque hinc floris obtinendi exigua spes sit; tum quia jam per 12 annos unicum specimen in horto cæsareo colitur, ab hortulano aulico Francisco Boos ex Promontorio bonæ Spei adlatum. Caudex in hoc nunc altitudinem novem unciarum attigit, subrotundus, structuræ ejusdem cum prioribus, sed lanugine ad tactum molli totus obductus, quæ plane desideratur in aliis. Frondes plures, erecto-patulæ, totæ glaberrimæ & supra nitidæ, basi sola lanuginosæ, abrupte pinnatæ. Costa basi calamo crassior & subtriangularis, cæterum dorso & facie carinata, inermis, tripedalis plus minus, rigidula, ad apicem recurvata. Pinnæ alternæ, sessiles, lineari-lanceolatæ, coriaceæ, rigidulæ, infimæ integerrimæ, reliquæ dente uno alterove incisæ, apice & dentibus in mucronem pungentem desinentibus, infimæ & summæ breviores, mediæ quatuor uncias longæ, subtus subtiliter striatæ, superiores ad oppositas suas convergentes. Crescit ad Promontorium bonæ Spei. Tabula 30. sistit totum caudicem, tabula 31. folium cum deficiente media parte.

95. IXIAE MINIATÆ VARIETAS. *Jacq. Tab. 32. Fig. 1.*

Planta hæc solo florum colore & scapo simplici differt a mea Ixia miniata Horti Schönbrunnensis, foliis bulboque plane convenit; quare hic solos flores proposui. Crescit ad Promontorium bonæ Spei. Apud nos floret in tepidario mense Martio.

96. IXIAE FENESTRATÆ VARIETAS. *Jacq. Tab. 32. Fig. 2.*

Etiam hæc Ixia omnino tota quanta congruit cum illa, quam dixi fenestratam. Differt



Zamia cycadifolia.



Zamia cycadifolia.



Zamia horrida.



Zamia horrida.



Zamia longifolia.



Zamia lanuginosa.



Zamia lanuginosa.